

am proderet, uti jam ostensum est. Quod de providentia divina subjungit Censor, id non ad hoc caput, sed ad caput de prædestinatione, aut ad caput de vocatione & conversione hominis pertinet. Ubi quam sit absurda & ridicula ista, quam hic exceptioni nostræ adjungendam censet Exceptio, cum bono Deo, demonstrabitur. Interim notandum hic est, quod Censor disertè fateatur, conversionem hominis non pertinere ad providentiam, quæ rerum creaturæ naturis ac proprietatibus est accommodata, & hominem in ea tantum παθητικῶς seu passive se habere, quo absurdus & falsus dici nihil posse, suo loco planum faciemus, σὺν θεῷ.

EXAMEN CENSURÆ CAPITIS V.

De creatione Mundi, Angelorum,
& hominum.

Hic sectio declarationis tertia, primo loco incurrit censuram, *Non omnes*, inquit Censor, *rationes hic à Remonstrantibus exprimuntur, ob quas boni Angeli, nunc sancti, nunc electi, nunc Filij lucis, in sacris literis appellantur.* Quantum crimen, etiam si omnino hoc verum esset! At tantum abest, ut Remonstrantes non omnes rationes hic exprimant, ut ne quidem rationes ullas allegent, cur Angeli sancti, electi, aut Filij lucis vocentur: Nam idcirco tantum eos sanctos, electos, & Filios lucis vocari in Scripturis dicunt, quia, principatum seu originem suam retinentes, Deo creatori, & Domino suo constanter adhæserunt: Quæ causa ejus rei fuerit quod adhæserint, & an electi à priori aut posteriore dicantur, an nominaliter, an participialiter, non definiunt, uti ex eo constat, quod Angelos idcirco etiam sanctos vocari dicant, quia Deo creatori suo constanter adhæserunt: Sanctitas autem ab iis allegata, non poterat dici ratio, propter quâ Angeli Creatori suo adhæserint constanter, quia constans illa adhæsiō, ipsa sanctitas est. Itaq; particula *idcirco*, qua utuntur Remonstrantes, non ut rationalis aut causalis particula, sed ut ἐξηνγκλητή tantum allata fuit. Et cum vox electus, nominaliter accipi possit, & non raro accipi in Scripturis soleat, eodem sensu vocem electos, quo sanctos, usurpare potuerunt Remonstrantes. Sed esto, Remonstrantes particulā, *idcirco*, pro causali particula acceperint,